

*Doc. 39 (Scriptum est Petro
de Tocco militi, Iustitiario
Basilicate, ac Bello de Bello...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 39 (Scriptum est Petro
de Tocco militi, Iustitiario
Basilicate, ac Bello de Bello...)*

1304-01-14

Scriptum est Petro de Tocco militi iustitiario Basilicate, ac Bello de Bello de Messana militi familiaribus et fidelibus suis etc. Dudum Roberto primogenito nostro carissimo duci Calabrie nostroque in regno Sicilie vicario generali terras Fogie, Troie et civitatis Sancte Marie de iustitiariatu Capitate cum eorum hominibus iuribus et pertinentiis omnibus usque ad nostrum beneplacitum concedendas duximus et donandas. Noviter autem, terris eisdem per nos ex certa causa de manibus dicti nostri primogeniti revocatis, volentes sibi proinde de competenti excambio providere, civitates Suesse de iustitiariatu Terre Laboris ac Venusii et Potentie de iustitiariatu Basilicate cum hominibus iuribus et pertinentiis omnibus earundem nec non palatium Lacuspensilis cum Monte Marchone situm in eodem iustitiariatu Basilicate cum hominibus nemoribus defensis Gualdo de forestaria, Monte de Vulto cum iuribus et pertinentiis eorum omnibus prout ad presens in manu curie nostre consistunt et usque procurata sunt per contergios dicti palatii, ac custodes forestarum ipsarum seu alios pro curie nostre parte prefato duci in dietarum terrarum excambium usque ad dictum nostrum beneplacitum duximus concedendas. Quo circa fidelitati vestre committimus et mandamus quatenus, statim receptis presentibus, procuratorem seu nuneium dicti ducis presentes vobis litteras assignantem, nomine ducis eiusdem in corporalem possessionem dictarum civitatum Venusii et Potentie ac hominum, iurium et pertinentiarum omnium earundem, nec non dicti palatii Lacuspensilis ac Montis Marconis, defensarum Gualdi et forestarie hominum, iurium et pertinentiarum omnium predictarum, auctoritate presentium inducentes, faciatis sibi de cetero de ipsorum iuribus redditibus

et proventibus integre responderi. Et recepto prius ab hominibus civitatum et locorum ipsorum pro nobis fidelitatis debite iuramento faciatis eidem duci ab huiusmodi hominibus secundum regni consuetudinem assecurationis debite sacramenta prestari ac de omnibus in quibus tenentur et debent intendi et etiam responderi factis de exeeutione presentium tribus consimilibus puplicis instrumentis quorum uno vobis retento alioque nuncio dicti Ducis tradito tertium magistris rationalibus magne curie nostre destinatis.

Datum Fogie per Bartholomeum de Capua etc. die XIII ianuarii II indictionis (1804).